POMPA FUNEBRE NELL'ESEQUIE CELEBRATE IN ROMA AL CARDINAL MAZARINI NELLA...

Léon : de Saint-Jean

Digitized by Google

Digitized by Google

IVLII MAZARINI
EMINENTISSIMI
CARDINALIS,
ELOGIVM
FVNEBRE.



ROMÆ,

Ex Typographia Reuerendæ Cameræ Apoſtolicæ.

MDCLXI.

Superiorum permiſſu.

Digitized by Google

Digitized by Google

EMINENTISSIMO PRINCIPI ANTONIO BARBERINO

FR. LEO CARMELITA RHEDONENSIS

Veram æternitatem.

HABES, EMINENTISSIME PRINCEPS, in hocce Elogio Funebri, ſeruitutis erga te meę non vulgare monumentum. Plura enim profectò, ſtatim dum præcepiſti, occurrerunt; quæ me à ſuſcipiendo onere admodum lubrico & ancipiti, non iniuſtè deterrebant. Verùm nec inobediens, te præſertim iubente, eſſe debui: nec potui, ex meamet indole non eſſe fidelis. Sueta nimirum tibi magnanimitate defunctо Eminentiſſimo Cardinali Mazarino nouam per Iuſta hæc publica vitam repaſtinaturus, me interea optaſti Oratorem; vt & qui laudatur & qui laudat, tui prorſus eſſe, etiam vltra funus, perſeuerent. Parui ergo laudum ab arte & fuco nullatenus egens, quas ſuggerit abundè ipſa per ſe ferax materia. Neque verò mihi parum admodum procliui in adulationes, ex Sacro præſertim Suggeſtu, præcauendum valde fuit. Dixi nimi-

EPISTOLA NVNCVPATORIA.

rum in Exequijs, conſignoque modò Poſteritati, quæ ferme nemo ignorat : quorumque tota Europa & theatrum, & teſtis. Ceterum queſtu perinde & gratiâ procul, iſtud etiam modicæ gratitudinis argumentum non duxi inuidendum.

HANC demum, ANTONI PEROPTIME, anfractus inter & ſcopulos ſummam deputaui felicitatis meæ. Si id habet obedientia inauſpicatum, quod eſt cæca; fauſto quoque fruitur priuilegio quod rea nunquam legitimè accuſatur, nedum condemnatur. Conductus igitur veſtro ſolùm iuſſu, meoque mero affectu, parentaui defuncto Cardinali, Regis mei Miniſtro, reuera vndequaque Eminentiſſimo. Tibique auguſtioribus etiam titulis inclyto, iſtud obſequij erga te mei per omnia deuotiſſimi vadimonium publicis velut tabulis ſcribo; nuſquam vnquam, ſi pergis non dedignari, vel in ipſa libitina deſerendum. IN VRBE KALEND. MAII. MDCLXI.

ELO-

Digitized by Google

ELOGIVM
FVNEBRE.

DEI voluntate miſſus ſum, qui fecit me quaſi Patrem: & Dominum vniuerſæ Domus, ac Principem in omni Terra. Geneſ. 45.

HOMINVM vitam, PRINCIPES EMINENTISSIMI, ORNATISSIMI AVDITORES, bullam eſſe euanidam hodiè nimis, heu! nos docet *exemplum* luculentum ſimul & lugubre MAZARINI. Quidquid oſtentant Regales Aulæ vel in diuitijs opulentum, vel in dignitatibus ſublime, vel in amicitijs rarum, & eximium; non eſſe niſi [vmbram ſeculi, vanitatemque vaniſſimam] oſtendit mors primi in Galliarum Regno Adminiſtri; cui parem optare faciliùs ſemper erit, quàm inuenire. Mors, proh dolor! illius ætati præcox, Galliæ atrox: Europæ acerba, intempeſtiua Chriſtianitati. Ipſam, ipſam quoque purpuram, primoſque poſt primum ſacros apices mox dilabi in cineres, abire protinus in nihil; admonet vos, o Mortales, fatum præſens in hacce pompa funebri, Cardinalis per omnes ſanè titulos Eminentiſſimi. Ita nimirum *voluitur Orbis.*

PRÆLVDIVM

Omnia vanitas. 3. Eſdr. 2. Eccleſ. 1.

Conſtat, æterna poſitumque lege eſt,
Vt conſtet genitum nihil.

Boet. lib. 2. Conſol. Met. 3.

Diceres vtiquè Supremum Numen perenni rota miſcere ima ſummis, & quaſi pila [ludere in iſto Orbe ſublunari.] Breues nempe & mutabiles vices rerum ſunt, & fortuna nunquam ſimpliciter indulget.

Prouerb. 8.

Curſ. l. 4.

QVID enimuerò poſt tot tantaque ad ſplendorem, immò ad ſtuporem ſperandum magis, quàm vt ſeculi vota ſunt, vita felix, partiſque bonis largiter fruitura? Ex eo tamen ſummæ proſperitatis faſtigio, in tumulum recidit Iulius Mazarinus: viuere deſinit rerum qui tenebat habenas, viam ingreditur carnis vniuerſæ Eminentiſſimus Cardinalis. Vſqueadeo [cogitationes Mortalium timidæ, & incertæ prouidentiæ noſtræ; tua autem, Pater, *prouidentia* Homines, Nationes, Regnaque ad nutum gubernat,]

Prouidentia cuncta verſans.

Sap. 9.

Sic illa ludit, ſic ſuas probat vires:
Magnumque ſui monſtrat oſtentum, ſi quis
Viſatur vna ſtratus, ac felix hora.

Boet. lib. 2. Metr. 2.

EMIN. CARD. Ah! quàm nimiùm præſaga mens mihi fuit, extremæ felicitati nihil vicinum magis, quàm ruinam, cladeſque vltimas. Scis Lutetia, Orbis compendium, Scis & tu Roma, alma Vrbs, Sedeſque Sanctitatis; quàm ſæpè ab anno, & ampliùs, ingeminatum à me fuit illud ex Sacris Diptycis Oraculum; cùm conſummauerit homo, tunc incipiet: cumque ſe putat florentiſſimum, ruit lapſu grauiori. Ea nimirum Generis noſtri conditio, ea in hacce officina humanæ figulinæ rota verſatilis: ea, verbo dicam, ſors & indoles rerum planè vniuerſarum. *Quidquid ad ſummum peruenit, ad exitum properat.*

Summa felicitas cauenda.

Seneca.

Solem vide, ſuis perennibus gyris dum cuncta cum cœlo, & ſub cœlo circumagit. Statim atque motu lucido, albis velut quadrigis triumphans, cœlorum verticem conſcendit, properè declinat in occaſum. Pari itidem natiui ponderis momento, vix attigere fulgentiſſima meteora altiorem ætheris plagam, cùm illicò ad ſuas hic cunas reuoluuntur. Quare, & prudenter cauet medicinæ Princeps Hippocrates, quoties aliquis potitur exquiſita illa præſtantiſſimaque valetudine, quam athleticam & *Euexian* appellat; ſubitò confugiendum ad phlebotomiam, ſimiliaque artis Æſculapicæ præſidia; ne, inquit ſcientiſſimus Autor, ex eo quod natura eodem in ſtatu nequit permanere, abrupto impetu, caſuque repentino, vita proruat in interitum.

Eccleſ.

Lib. 1. Aphoriſm.

O ſtupendas *rerum vices*! O Lubrica, caducaque honorum culmina! O mira contrariorum fœdera! Vixque etiam illas dum videmus, & audimus, credendas repugnantium commiſſuras! Ad ſummam, omnibuſque retro ſeculis, fermè inauditam inter Homines felicitatem, Heroi cui parentamus, vnum profectò reſtabat, hic viuere felicem. Ecce tibi mors importuna tot triumphis inſultat, propemodum & illudit.

Rerũ viſſitudo.

Dicam, AVDITORES, quod ſentio. Et veſtra cum venia, liberam, quæ Sacrum iſtud Pulpitum decet, veritatis Euangelicæ vocem emittam. Hominum vita, ſcribit pulchrè & acutè vt ſolet Auguſtinus, vitrea eſt, quò nempe ſplendidior, eò quoque fragilior. Sed enim hic ipſe ſplendor, Ipſaque ipſa fragilitas ſpeculum conflant noſtræ Mortalitatis non fallax, non mendax. In eaque porrò glacie, puluerem licet inter & tumuli ſordes, terſiſſima; nomen, & geſta Iulij Cardinalis Mazarini *Ænigma* compingunt oppoſitis, vt in pictura, luminibus & vmbris, noſtræ ætati, futuriſque admirabile iuxta & inexplicabile. Italus ſcilicet, & Gallus; ſtrenuus Miles, & Doctor Laureatus. Popularis Sacros extra Ordines, idemque Sacra Purpura inauguratus: Extraneus, & Inquilinus; ibidem Aduena, & Domeſticus; Cliens ſimulque, vt olim Chuſai Dauidis, Regum Amicus. Quid vltra expectatis? Per extremas

Vita vitrea, ſpeculum, ænigma.

Conditio Mazarini varia.

2. Reg. 16.

Digitized by Google

tremas iniurias depreſſus, ac propè oppreſsus, ſicuti *è tenebris ſol illuſtrior*, euectus deinde in Gentium admirationem. Perque demum ſacra pacis, regijque Coniugij trophæa inclytus, præda tandem mortis euadit opima Mortalium hoc æuo famoſiſſimus. IVL. MAZAR.

En vobis, polita per eloquentiæ artes Ingenia, ad laudes Eminentiſſimi Defuncti *ſeges* ampliſſima, fœcundiſſimaque. Eam ego vobis remitto, conſcientia propriæ tenuitatis: nec non materiæ reuerentia, vires, ſi quæ in me ſunt, longè ſuperantis. Dicitote nimirum vt ſciant, mirenturque Poſteri (nam imitari quis Præſumat?) toto Suadæ & Muſarum apparatu, magni per omnia Viri proſapiam, Genium, Indolem, Studia: Cumulatas luculentiùs animi dotes, oris & ingenij decora; fortunæ, famæ, virtutumque planè omnium opulentiam toto Orbe Europæquamdiu exploratam, tamdiu notiſſimam. Interea ego impoſitum mihi à Superiori autoritate, proprioque animi nuſquam ingrati officio, & affectu ſemper conſtanti, munus tentabo. Iuſtumque quod erectis, credo, animis expectatis, Elogium; *duobus verbis*, pro mearum virium tenuitate, abſoluam. Materia amplitudo.

IVLIVS MAZARINVS DEDIT SE TOTVM GALLIAE. GALLIA VICISSIM DEDIT SE, SVAQVE OMNIA CARDINALI EMINENTISSIMO PERINDE ET AMANTISSIMO. Ipſeque propterea [Defunctus loquens, Abelis inſtar,] præire mihi videtur in electam à me ex Ioſephinis formulā. Qua quidem res ab Eminentiſſimo Regni Moderatore in Gallia, ſub vno & altero Rege Chriſtianiſſimo, præclarè geſtas; vobis compendio, quantùm dederit DEVS ſcientiarum Dominus, pro virili parte repræſentabo. DEI *voluntate miſſus ſum, qui fecit me quaſi Patrem: & Dominum vniuerſæ Domus, ac Principem in omni terra*. Grandia, σὺν Θεῷ paucis explicabo. Attendite, ſi placet, & fauete. PARTITIO. *Hebr.*

IBAT Iulius Mazarinus, AVDITORES, per paternam iam olim in Liguria, Siciliaque: maternamque in ipſa quoque Vmbria ex Gentes Bufalina, *nobilitatem*, ad decora honorum faſtigia. Per egregiam ſtatim indolem, quam fauſta naſcenti inuolucra præmonſtrarunt, dextro adoleſcentiam omine & numine auſpicabatur. Per domeſticam deinceps præſtantiſſimorum Columnarum clientelam, claraſque cum prænobilibus Mancinis, Martinoſſis, & Montijs affinitates; properabat ad fortunam, vt minimùm in Italia minimè vulgarē. Vrgebatur identidem ad ampliora, beneficijs optimi Mœcenatis; cui ſicut ſtemma Gentilitium, Apes ſunt mellitiſſimæ: ita proprius character ſemper fuit magnanimitas, fides, candor, munificentia; ne multis, quod nemo NARRATIO. Stirpis vtriuſque Nobilit. Indoles Columnarum clientela Mancinorum Martinoſſ. Mõt. affinitas. *Antonij Barberini beneficia.*

Digitized by Google

EMIN. CARD. neſcit, conſtanter amare, ideoque & vehementiùs deamari. Per virtutum deniquè omnium paraturam ipſe magnanimus Iuuenis educebat ſe, & propellebat ad omnia magna. Experturus nimirum, nam & ego ipſe dicentem non ſemel audiui, quid in priuato Homine poſſit fortuna, Magis ſentiebat Chriſtianè, quid decernat ignota humanæ menti, ad varias eiuſmodi ſortes caliganti, Numinis prouidentia.

Indoles.

Studia Romæ

IAM *Romæ* in Collegio illo Societatis IESV florentiſsimo vltra ætatem, ſupraque omnes coætaneos longè conſpicuus, dum *ſtudijs* humanioribus alacriter incumbit, dum theſes publicè ſuſtinet de nupero tunc Comete Aſtrologicas: dumque in ſacro dramate primariam D. Ignatij Perſonam, toto plaudente theatro, repræſentat. Iam apud Hiſpanos in Lyceo Compluti notus, ac nominatus; dum Legum, Iuriſque tyrocinio Laureæ Doctorali præludit. Iam per *alternas*, vt ſeſe ſagaciſsimæ menti offerebant, vices Sagi & Togæ, Martis & Mineruæ, ex æquo inclareſcens. Iam deſignante, ac iubente felicis memoriæ Vrbano VIII. Nobilibus Sachettis additus & addictus, ſtadium ſibi ipſe aperiebat ad ſpes inſuetas. Iam annis dumtaxat tribus ante ætatis triceſimum, pro quo cautionem, opinor, poſtulabunt Nepotes venturi; politica negotiorum geſtione cum cunctis Italiæ, Galliæ, Hiſpaniæ, Germaniæ Principibus, celebris. Exindeque porro Officijs, Prælaturis, Legationibus, toti Europæ factus veluti prodigium; ibi prima locat immenſæ deinceps fortunæ & exiſtimationis fundamenta, vbi ceteri vel maximè ambitioſi, faſtigia vix auderent deſignare. Aſſertum deinde, & inſertum noſtra inter Lilia, vt Gentis *Gallicæ* felicitatem curaret; iuſto ſtupore ſuſpicit, etiamnum, Orbis vniuerſus.

Compluti.

Doctoratus

Negotiation.

Legationes

Galliæ tandem addictus.

ENIMVERO quotus quiſque eſt tam parum prudens rerum exiſtimator, qui rarum & inſolens iſtud adoptionis genus eximiæ Numinis in Mazarinum prouidentiæ, in Franco-Galliam beneuolentiæ non adſcribat? Gentis noſtræ candorem iuxta & magnanimitatem, illi vix dum benè notus, naturæ velut impetu, arcanoque inſtinctu, prædilexit, præoptauit Mazarinus. Adeò certè nihil magis vel in indole, vel in votis habuiſſe videtur; quàm per certiſſima prudentiæ, fortitudinis, fideliſſimique obſequij argumenta totum ſe Liliorum Imperio oppignerare, totum Galliæ rebus deinceps mancipare.

Pax ad Caſalim.

Teſtis geſtio illa *Caſalina;* quam in politicis ceu miraculum crederemus, niſi opus eſſet Mazarini. Quid enim, quæſo, anteacta ætas protulit tam inauditum, aut quid efferet ventura vſque-adeo demirandum? Caſalim, Vrbem Inſubrium natura & arte munitiſſimam propugnabat Gallus, Præſidij principe Toraſio, ſtrenuo perinde ac felici: Oppugnabant Caſtra Hiſpanica ſimul & Germanica, obſidionis

nis

Digitized by Google

niſ ducibus, pacis & belli artibus claris. Aduolat in auxilium Gallorum exercitus, erumpebat è vallo Hiſpanicus. Duæ Gentes non magis propria virtute, quàm veteri æmulatione, ferro & ſanguine ad vltimam internecionem magis etiam pro gloria, quàm pro Vrbe obſeſſa decertaturæ. Iam aperto in latiſſima planice Campo, à ſuis Ducibus eductus Galliarum Exercitus, pugnam ciebat. Iam vtrinque ſpirabant nihil niſi ferrum, ignem, cædes, ſtrages, neces. Stabant acies aduerſa fronte oppoſitæ. Equitum cunei, Peditumque phalanges, Gallis in planitie, Hiſpanis intra vallum ſuis ordinibus diſpoſitæ. Libratis iam & fulminantibus tormentis bellicis, ſplendentibus armis: animiſque pari vtrinque cura, & ardore ad victoriam erectis. Velites tentabant pugnam; tum cum adhuc, vt prædixi, Iuuenis admodum Mazarinus, ne tot Chriſtianorum ſanguine cladi Italiæ litaretur, mira induſtria, felicitate incredibili, hinc inde inter globorum grandines, morteſque vndiquè ingruentes, ad ambos Exercitus, qui erant in procinctu, diſcurrens; agit, ſollicitat, vrget: Ducumque animos, alternatim curſitans eò deducit, vt prælio abſtinendum conſentiant mitigati omnes. Tandemque pilei motu, ceu vocaret ad libertatem, per turmas & agmina *pacem* clamat, pacem vtrinque conclamant vniuerſi. Moxque [fulguribus verſis in pluuiam] poſitis Gentium ex æquo ferocioribus animis, armis depoſitis: coeunt, ſimul miſcentur Caſtra, hoſtes mox ante infenſiſſimi dextras iungunt, oſculis ſeſe viciſſim amplexantur: plaudunt, lætantur, ouant, conuiuantur. Et quod prodigij faciem habet, reportata ſine ſanguine hinc & inde victoria; neutri victi, vtrique victores triumphant. Inde noſtris porro cis Alpes Fœderatis, pax tranquilla & tuta.

IVL. MAZAR.

Pſ.174.

Sponſalia illa profectò erant, AVDITORES, & pignora noſtrum erga Imperium affectus in Mazarino ſingularis. Quò certè minùs mirum videri debet ſi, ab eo ſignanter tempore, optimo hominum Trutinatori Cardinali Duci Richelio eximiè approbatur. Si Ludouico Iuſto Règum Chriſtianiſſimo, inuictiſſimoque vltra modum prædiligitur. Sique dum viuunt ambo, impetrata illi ab Vrbano VIII. Sacra *Purpura*: dum paulo poſt abeunt ambo pariter è viuis, Mazarinum ſublegerunt, ille in Miniſterio ſucceſſorem: iſte primarium in Regno Miniſtrum, Viduæ Reginæ Oraculum, geminæ Prolis Regiæ Educatorem ac Moderatorem.

Euocatur in Gallia n.

ET verò, AVDITORES, noſtrum Πορφυρογέννητον Celi munus, Orbis delicias, ſpem & pignus Imperij, è Sacro Fonte ſuſcepiſſe tam rarum, quàm nouum: vixque vlli, quod ſciant Annales, ea ſorte retro conceſſum. Nempe, quod noſter Ludouicus Theodoſius vicennali

Delphini Patrinus.

EMIN. CARD. partus, (vt in grandioribus ſolet Natura) elaboratus eſt, debetur Cœlo. Quod in ſpem Regni natus, Borbonio Patri Chriſtianiſſimo, Matri Catholicæ Auſtriacæ. Quod in Europæ Victoriam, & Orbis Pacem; ſtatiuæ apud nos, ſed Mazarino deinceps metatori, felicitati.

O tuas, Herôum fortunatiſſime, felices manus; quæ Franciæ Regem in Sacro Lauacro quaſi pepererunt! Eccleſiæ Primogenitũ ex illa per Baptiſmum matre adoptionis, quodam modo enixæ ſunt! Sanè Chriſtianos fieri, non naſci, meditatè olim dictum abs Hieronymo; addo vtique, & Reges. Noſtris etenim adnata videtur, potiùs quàm innata: nec tam genituræ, quàm paternæ mortis beneficio quæſita Regni Maieſtas. Scilicet gloria Liberis poſthuma eſt, quippe qui non aliter quàm Parentum funere Imperio inaugurantur. Chriſtiani quoque, puto quia & Reges, Patris perinde, & Imperatoris ſui CHRISTI obitu, [per Baptiſmum illuminantur, regenerantúrque in Regale Sacerdotium.] Rom. 6. Coloſſ. 2. Heb. 6. 1. Pet. 2.

Quod itaque geminatis Elogijs in noſtro Adeo-dato præcipuum eminet, hoc palmare cedit Iulio Cardinali. Rex Galliæ deſtinatus, mox & Celo editus; vtroque grandi titulo ſe Eminentiſſimo Sponſori ſuo & Suſceptori, Propatri & Eruditori æternûm vendicabit; Quod, inquam, Ludouicus XIV. regnat, debet quidem nobiliſſimæ Proſapiæ. Quod autem regnat feliciter, tanti debet Adminiſtri vigilijs & curis. Neque priùs cœpit ſeu viuere, ſeu regnare noſter Princeps; quàm ſe ſenſit ætatis ſuæ, ſuique Status Moderatori pluſquam Gordio nexu deuinctiſſimum. Regias illius cunas lauro, & palmis inumbrauit Regni Curator Mazarinus. Per huius artes ac labores adoleuit Eccleſiæ Primogenitus, victorias inter & triumphos. Nondum ætate maior, iam per ſui Cardinalis prudentiam ac felicitatem Maximus. Adhuc Infans in ipſaque prætexta, iam Poliocretes: vereque Hercules, *monſtra ſuperauit priuſquam noſſe poſſet*. Exordia felicia.

Senec. in Hercul. SCILICET integræ, ac plenariæ felicitati *præluſerunt*, Iulio Conſultore, Duce Cardinali Mazarino; continuata nobis Celi, Terræque auſpicia. Sed quæ illa Deus bone! quot, & quanta! Rupis-Regiæ, Theonis-Villæ, Grauelingæ: mox totius Inferioris Germaniæ, ad vſque Rheni vlteriora; demum in Belgio, in Catalaunia: ipſa in Italia, marique Tyrrheno prælia, victoriæ, expeditiones, obſidiones, expugnationes, aut deditiones vix credendæ. Primæ Victoriæ.

Superaceſſit pax cum noſtratibus Germanica, qua Galliæ Imperium & auctum, & magnificè decoratum. Immo & iſta ipſa ceterarum domitrix Gallia, proprijs factionibus lacera; per noſtrum Heroem

rioem ſibi, ſuoque Regi feliciſſimè reddita eſt. Tandemque ſtupente toto Orbe, vixque etiam dum videt & gaudet, ſatis credulo; *Pax* illa Generalis Chriſtiano-Catholica, auſpicate Nuptiarum fœdere, ſancita fuit. Et planè, quod mirabilius, vno pro Galliis Caduceatore & feciali Mazarino: ſolo illo, illo Cardinali Proxeneta ſimul & Paranympho. Vt non legitimè de Defuncto, quem miramur & lugemus, vſurpem impræſentiarum; quod olim de Magno Theodoſio Gallus Orator; *anguſtè fortunam tuam expendit, quiſquis id de te tantùm quod fieri poteſt, credit.*

IVL. MAZAR.

Pax Generalis, & nuptiæ Regis.

Latin. Pacat. Drepan. in Panyg.

Vicit nempe ſpes omnium, fermè & vota, Eminentiſſimus Regni Adminiſter. Eaque generoſitate, bello: induſtria, paci: felicitate, vtrique operam nauauit; vt ſuam fortunam vix ferat Gallia, Europa miretur attonita: dubitaturaque ſit Poſteritas plus-ne debeamus ſapientiſſimo, feliciſſimoque Cardinali; vel quia bellum victorijs, vel quia victorias pace ſtuduit coronare. Ita ſimul ac ſemel Iulium Sidus & Marti, & Concordiæ, & Hymenæo fortunatiſſimè illuxit.

Hæc nimirum tot ac tanta, vt videtis, non pluſquam *delibo*. Propterea quod & temporis anguſtiæ, Geographorum ritu, immenſa brevioribus punctiŋijs claudere me cogunt. Et fruſtra de cætero aduocarentur in ſubſidium, Eloquentiæ pigmenta; vbi non meas modò, ſed & cuiuſuis perfectiſſimi Oratoris vires ſuperat materia ingens, grandique Hiſtoriæ aliquando ſuffectura.

Reticentia.

Satis igitur modò fuerit in præſenti Exequiarum pompa, propoſitum initio Conſilium perurgere. Mutua, inquam, Galliæ ac Mazarini velut *ſponſalia* identidem concelebrare. Totum ſe ille dedidit lilijs Galliæ candidiſsimis. Totam ſe illi Regia Chriſtianiſsima, nobili hoſtimento reſignauit. Sic per viginti & ampliùs annos quidquid floret Gallia, ſecundùm Numen [à quo ex omnibus terræ floribus eligitur lilium vnum] debet præſertim Mazarino. Sed quàm viciſsim ipſe, ipſe ſe debebat; tam ipſe ſe conſecrauit DEO, Eccleſiæ, Regibus, Reginis, Galliæ demum, paucis vt abſoluam, vniuerſæ. Sic admirabili fœnoris commercio mutuorum tot beneficiorum vſuræ hinc & hinc repoſcuntur, quaſique certatim refunduntur.

Mutua Galliæ, & Mazarini offi. cia.

4. Eſdr. c. 5.

Quare iterum ad te conuerſus, Italiæ decus, Romæ ſplendor, Galliæ honos, Europæ totius ornamentum, ſemel repetam, dicamque iterum; quod in te, Iulij Mazarine, ſummum eminet, Galliæ debes: quidquid viciſſim modò Gallia refloreſcit, præcipuè debet tibi. Recepit à te, quæcumque propemodum habet hoc æuo inclyta. Interim nequaquam ingrata, quando ſibi per te reddita, tibi prolixiùs impendit vniuerſa. Ne tu verò faceres verſuram, totum te illi, & in ſolidum

dum

Digitized by Google

 dum, ad vſque vltimum vitæ ſpiritum rependiſti. Et planè cæteris in Regno natis mactare ſe publicæ rei, iuſtum & pium: Extraneis, beneuolum; vni tibi à Iuſtitia ſimul & charitate, religioſiſſimè incumbebat. Innata vero, AVDITORES, Mazarino generoſitas, exoluit cumulatiùs æs iſtud regium; dum ſcilicet magnanimus perire non dubitauit modò ſalua eſſet Reſpublica, Regiaque autoritas.

Ea propter (nam & *iuuat meminiſſe laborum*) ſemel atque iterum extorrem ipſe ſe fecit, voluntario, eoque olim inter Athenienſes glorioſo per *Oſtraciſmi* teſſulas, exilio; vt ſe ipſa frueretur Gallia, ſuo Rege Lutetia: Rex ſua Vrbe, ſuo Regno. Adeò ſe propemodum debent ambo, Rex & Regnum, huius vnius aut impendijs, aut diſpendijs. Quippe-qui, Ionæ inſtar, ſpontè ſe obtulit naufragio; exploraturus an hoc effuſo in mare oleo, ceſſaret tempeſtas: *Ion.* 1.

Quàm verò ſpecioſum, immo Romanum, immo & Chriſtianum; vtilem ſe præſtare publicæ Rei, caputque ſuum pro alijs deuouere? Ac iſtud quidem, non per facinora ſolùm egregia: ſed per conſtantiam quoque noſtris in Eccleſiæ caſtris, Heroibus, ſi dicere non eſt nefas, propemodum æmulam. Vidi ego illam, neque profectò citra ſtuporem, teſtis nequaquam ſuſpectus. Viſuſque ille mihi, immo & vniuerſis non zoilis, non inuidis; ſacer, deuotus Regis & Regni. Indeque adeo, vt eſt rerum viciſſitudo, ſuetaque & admirabilis celeſtis Prouidentiæ diſpenſatio, creuit ille per vulnera, quam balſami naturam eſſe memorant Eruditi. Et palmæ inſtar, Rebellium factione tantum non obrutus, refloruit ſub pondere vegetior. Adeò *nuſquam defuit ei, perpetua in dubijs rebus felicitas*.

Conſtantia in duplici abſentia

Geneſ. 7.

Nobis deinde poſtliminiò *reſtitutus* noſter velut alter Moſes, Hominum certè vt prudentiſſimus ita & mitiſſimus, pari ſuæ magnanimitati clementia hoſtes ſuos etiam fecit veneratores; vt MAZARINO tot atrocibus, iteratiſque iniurijs offenſo nemo ſe offendiſſe ſentiret.

Numer. 12.

Reuerſus cum maiori gloria.

QVID QVOD TANTI quoque Viri *ægritudo* prolixior, acerbior; illius Pacis fructus eſt feliciſſimæ, beatique Coniugij per tot ſudores ac vigilias procurati? Exhauſta nimirum optimo Cardinali valetudo eſt, vt Europæ pax acquireretur, Galliæ robur firmaretur. Hocce verò facinus, ò DEVS & Cælites! quàm rarum, quamque proficuum, quàm verò dignum ſeculorum commendatione ſempiterna?

Morbus lethalis.

Sacræ Veteris Teſtamenti Tabulæ matrem narrant penè emortuam, dum rixantes, præliateſque in vtero Fratres duos, totidemque Gentes enititur. Sorte equidem *ſimiliter* diſſimili, Mazarinus fœderis pater & patrator duos inter Reges potentiſſimos (nam ſe Reges mutuò Fratres

Geneſ. 23.

appel-

Digitized by Google

appellant, & erant vtiquè Conſanguinei) mortem planè obijt in partu illo Pacis, feliciſſimo. Ita parum ſibi vixit, nobis totus. IVL. MAZAR

Quin etiam; quod mireris & ames, ſapis enim Chriſtianè; in ipſomet corporis languore & interitus confinio, quotidiè palam deficienti vires reacccendit *Zelus* Eccleſiæ. Animoſiùs nempe quàm permittebat morbus lethalis, conſpirat Cardinalis Mazarinus cum Eccleſiæ autoritate ſuprema. Collaborat itidem Regi, vndequaquè Chriſtianiſſimo; vt infauſtæ Nouitates, Imperio haud minùs quàm Eccleſiæ exitiales, ſtirpitùs eradicentur. Iamque proprio marte & ardore volantem, decedens Cardinalis vitæ ſuæ flatu vltimo noſtrum impellit Regem, Eccleſiæ Primogenitum, ad ferendas ſuppetias Matri & Imperatori; vt à ceruicibus Chriſtianis, depellatur Tyrannis Ottomanica. Viuus ſcilicet morienſque intellexit illam qua radiabat purpuram, radium eſſe diuinæ lucis; cuius mutuato à ſupremo Pontifice ſplendore, totum CHRISTI corpus ſanctiſſimè colluſtratur. Vſqueadeo verum eſt, AVDITORES, vitam Mazarini, mortemque non vulgaribus laudum encomijs meritò commendari. Zelus pro fide & Eccleſia.

VERVMENIM nihil magis animum afficit meum, nec tantæ iacturæ ſolatium maius; quàm Hominem, ceterà occupatiſſimum, *Morti* vacaſſe per omnia Chriſtianæ pietatis & officia, & munia. Poſt hæc enim (liceat mihi, AVDITORES, iſtud à ſacra Machabæorum hiſtoria tantiſper imitari) *decidit in lectum, & cognouit quia moreretur.* Mors chriſtiana:

Et poſt hæc. Ah! miras, ſtupendaſque, vt dicebam initio, rerum humanarum viciſſitudines! [Deijcimur, dum alleuamur: ſubitò deficimus, ac veluti ſomnium in nihilum redigimur.] *Et poſt hæc!* Quænam porro illa? Meminiſtis puto, AVDITORES, efficietque tanti Viri grata recordatio, vt nuſquam futura Poſteritas obliuiſcatur. *Et poſt hæc.* Scilicet, vt paucis *reſumam*; poſt originem vtraque ſtirpe commendabilem, poſt naturæ dotes eximias: ſtudia non pœnitenda, fortunæ donaria ſplendidiſſima. Poſt officia bello & pace decora, politicas rerum adminiſtrationes incredibiles, ſucceſſus vltra modum felices. Poſt diuitias Craſſi & Luculli opulentiæ fortè non inferiores, famam circumquàque diffuſam: Curam Regis, & Regni Indefeſſam. Poſt læta illa Pacis fœdera, cui ſaltem debetur non priuata modò, ſed etiam publica totius Humani-Generis, noſtræque præſertim Gentis impenſior gratulatio. Ac ne demum abeam, vt liceret, in infinitum, poſt tot humanæ felicitatis miracula; ecce clauſulam, ecce cataſtrophen, cunctis Mortalibus vſquè ingeminandam, nec minùs extimeſcendam. *Et poſt hæc, decidit in lectum.* Quodquè maioris apud me, cunctoſque Chriſtianè ſentientes, momenti eſt; ſingulari Numinis Psalm. 72. Recapitulatio vitæ Mazarini.

Indul-

Digitized by Google

EMIN. CARD. indulgentia, CHRISTIQVE Seruatoris non quotidiana benignitate, *cognouit quia moreretur*.

Daniel.3. Inſolens olim Nabucodonoſor ſtatuæ illi quam viderat in ſomnis capite aureo, pedibus luteis; ſigno à ſe fabrefacto, remota argilla pedes ſubſtituit planè aureos. Rationem curioſiùs percontaris? Bonum factum, impromptu eſt. Rarus Inter Principes & Magnates inuenitur, cui grata ſit mortis recordatio. Omnes vtiquè amandant procul vltimi finis ſui memoriam. Parumque abeſt quin, vt alter ille Imperator Iuſtinianus, abblandiantur ſibi de immortalitate. Illam certè veſtri Imperatores Romani, fictitia Apotheoſi ſolari nitebantur. Mortis neceſſitas iugum profecto in altiori fortunæ gradu poſitis, duriſſimum. [O mors quàm amara eſt memoria tua, homini pacem habenti.] Iulius Pacem condedit Europæ. *In ſubſtantijs ſuis*, quis vnquam priuatus tot diuitijs & largitionibus effloruit? *Viro quieto*, quem enim alium non conturbant dolores mortis, & inferni pericula? Enimuero mors Mazarini opus eſt haud vulgare fortitudinis, & nimirum gratiæ DEI per CHRISTVM ſingularis.

Mortis illius circumſtantiæ. Eccleſ.48. Pſalm.17.

Quis enim in ſeculo, & inter fortunæ cultores optet fortunatiorem! Supra communem orbitam, ſupraque propemodum titulos omnes procul euectus Cardinalis Eminentiſſimus, ſeculò & fortunæ valedicit. Cogitat de vitæ termino, aptat ipſe ſe feretro & libitinæ. Pedetentim, ceu debitis Chriſtiano paraturis, mortem prægustat. *Et cognouit quia moreretur*. Nempe Eccleſiæ Sacramentis ritè initiatus. *Et cognouit quia moreretur*; ſui ſcilicet plenariè compos, Chriſtianis Maieſtatibus ad morientis preces cum largo fletu dimiſſis, ſub CHRISTI oculis Crucifixi, in cœtu & corona Præſulum, Sacerdotum, Regularium; firma fronte, ingentique pectore finem vitæ expectat. Sic, ſic AVDITORES, decebat, non ampliùs Veſpaſianum Imperatorem: ſed Cardinalem Mazarinum ſtantem, vigilantem, agentem expirare; & aſpirare ad coronas, tot meritis, vt ſperamus & vouemus, repoſitas in æternitate.

MORTVVM quid dico? Viuit Heros Immortalis in ſui nominis fama, ſparſa iam Terrarum vbiquè. Viuit in præclarè geſtorum memoria, apud Poſteros ſempiterna. Si quidem

Ante naſcetur ſeges in profundo,
Quàm eius laudes Populi quieſcant.

Viuit in Amicorum ſinu & pectore, quos veros ipſe theſauros dictitabat: quoſque pergens ad meliora, beneficijs deuinxit in illorum recordatione & affectu nuſquam perituris. *Hæc nimirum in illorum animis templa, has pulcherrimas effigies intellexit & manſuras.*

Tacit. Annal.4.

At

Digitized by Google

At quæ-nam hoc ſe ingerit loco, ceu in emblematis, vitæ ac mortis interpolata conteſſeratio? Fortaſſis confuſa rerum multitudine ac magnitudine memoria ſuſpenſam, velut in æquilibrio, meam modò deſinet orationem. Vitam nimirum tot gloriæ characteribus admirabiliter impreſſam, timet oratio deſerere. Sed magis multò veretur ne, vt materia ipſamet, euadat immenſa. Mortis diu & diu lugendæ imaginem, animus iuſtè auerſatur. Verùm vbi ceſſat vita, grandi noſtræ Mortalitatis documento; Elogium nec debet, nec poteſt vlteriùs progredi. Omnibus ſcilicet Hominibus, eximitur nemo; omnibus profectò [ſtatutum eſt immobile, lex indeclinabilis; *ſemel mori*.] Enimuerò, quod fuſiùs & neruoſiùs proſequitur paſſim veſter Seneca; mors ſua natura indifferens, qualis autem illa ſit, illud demum pretium operæ eſt. Qualem porro ſortitus eſt Heros MAZARINVS, diu expectatis. Adhucque, vt ſolet in re curioſiſſima, ſollicitè inquiritis. Hebr. 9.

AVGVSTI funus porta triumphali inuectum, recitant Annales Romani. Natus Romæ, Lutetiæ non denaſcitur Mazarinus: neque egreditur è vita, niſi triumphans. Annal. 4.

Si etenim *Pietas*, vt debet, imprimis requiritur; omnibus Eccleſiæ Sacramentis legitimè perceptis, coram ſigno ſalutis Crucifixo, inter Sacerdotum & Aſcetarum precationes: inter Regias lacrymas, Aulicorum gemitus, Amicorum ſuſpiria; publicaque totius Lutetiæ lamenta, & ſolemnes indictas in Templis ſtationes diem claudit extremum.

Si *Conſtantia* deſideratur, mortem excepit intrepidus, immo & lætus. Si Vigorem animi ſciſcitaris, ingentibus negotijs parem? Vt lampas mox extinguenda, fulgentiùs ſcintillans micat; refloruit itidem vigor Mazarini, in ea vitæ periodo vltima. Inſtarque miraculi erit, ſaltem apud Poſteros, quando ceſſat inuidia; mors tot præclarè geſtis, ipſa propemodum vita fæcundior. Solis namque & Aſtrorum more, quæ in occaſu lucent ſplendidiùs, gaudentque motu irrequieto; non deficit animus, in noſtro Heroë diuini vigoris portio nobiliſſima. Sed caducæ dumtaxat vitæ huius [mors reuera defluens] per omnes numeros expleta, ſuccreſcentibus aquis, placidè ac pacatè extincta eſt. Eccleſ. 51.

Et iſta quidem, AVDITORES, ſi Chriſtianè mecum ſentitis, laus eſt in Cardinali Mazarino ſicut vltima, ſic potiſſima. Finientem igitur illum videte, & lugete. Me verò tantiſper audite, & ad littus appellentem veſtra, vt hactenus feciſtis, benignitate & patientia fauſtis ad portum fauonijs deducite.

PERORATIO.

NEmpe ex Baſilij ſcitiſſimo acroamate, pictor eſt omnis Homo; quandiu ſub terrenæ huius carnis ſpolio, velut ſipario, moribus

ſuis

EMIN. CARD. ſuis & operibus pingit alicui tandem æternitati. Iſtud autem Mazarino præcipuum ac palmare quotus quiſque eſt qui non confiteatur, qui non demiretur, qui etiam, vt [meliora inter chariſmata] propemodum non inuideat? Vitam ſcilicet tot adoreis inclytam, tot rebus præclarè geſtis illuſtrem laudabili exitu abſoluere; quale porro & quantum putatis pro Homine, pro Chriſtiano, pro Cardinali? *Extrema videlicet corporum facere*, ſcribit eleganter Plinius Naturæ Polyhiſtor, *& deſinentis picturæ modum concludere, rarum in ſucceſſu artis inuenitur*: Venuſtæ comparationis enarrator accedat D. Hieronymus. Vtique in Chriſtianis, ait magnus Eccleſiæ Pater, non tam quæruntur initia quàm finis. Eaque propter ſolus credi profectò debet vixiſſe felix, qui probè deuixit. Neque maius gratiæ à CHRISTO priuilegium, inſigniorue Numinis indulgentia mihi, cordatiſque omnibus exiſtimanda eſt; quàm præclaram vitam, nec dum in noſtro Cardinali ſexagenariam, pia cum morte commutare.

Quiſque pingit, dum viuit.

1. Cor. 12.

Pſalm. 115.

Plin. 35. cap. 10.

Finis opus coronat.

QVIN verò iudicium hic appello Veſtrum, AVDITORES, rogoque ſententiam. Ecquid, amabo, vobis videtur de vltimo illo, aliquot ante obitum dies, *apparatu* ſanè mirabili? In illo, inquam, vltimo apparatu moriebatur-ne an viuebat & vigebat; qui ſui, rerumque compos tot pulchra, tot amœna, tot opulenta magnanimus deſeruit? Qui Familiam ſplendiſſimis matrimonijs, ampliſſimiſque fortunis cumulauit? Qui Regem Alumnum, virtute adhuc magis quàm ſceptro & diademate Auguſtum, de Regni Myſterijs ſapienter edocuit. Vnàque Germanum haud minùs ingenij prærogatiuis, quàm naturæ priuilegio *Vnicum*; de concordia inter fratres, ſtirpis præſertim Regiæ, tam neceſſaria quàm rara, prudenter commonuit? Qui Gallici Herculis, Principis Condæi, affectus ad vſque lacrymas blandiſſimè emeruit, ſtrinxitque vinculo adamantino? Qui Aulam cernens in fletu, in planctu Regem ac Reginas: in luctu Præſules, Principes, Nobiles; Regijs Maieſtatibus valedicens, omnia labentis iam vitæ conſilia conuertit ad animæ ſalutem? Qui eam vt ſecuriùs promoueret, poſt recepta, quæ mox inſinuabam, Eccleſiæ ſacra vltima & ſuprema; nihil habuit antiquius, quàm vt in ALEXANDRI PONTIFICIS MAXIMI, Sanctiſſimique per ſuum Nuncium benedictione Apoſtolica, vltimos ſpiritus reuerenter exhalaret. Idque vt palam & impenſiùs teſtificaretur, ſigillum appoſuit ſinceriſſimæ obedientiæ Epiſtolam manu morientis modeſtè, piè, politè exaratam?

Quæ egit in morte.

Iudith. 2.

Recitat Hiſtoricorum in Profanis vetuſtiſſimus, Architectum ſuo æuo præ ceteris, inſignem; poſteaquam Delphicum, credo, Templum Apollini, certante cum natura arte exædificauit; mortem vel obtinuiſſe,

Herodot. lib. 1.

uiſſe, vel recepiſſe, in collatæ feliciter operæ præmium ac mercedem; IVL. MAZAR.
Templum abſoluit Mazarinus prudentiæ Princeps, rerumque agendarum noſtra ætate nulli ſecundus, *Templum* dico virtutis, gloriæ, pacis, regijque matrimonij. Et quæ alia, vos precor AVDITORES, dignior remuneratio; quàm obtentus, aut oblatus à DEO huiuſmodi vitæ finis, qui non poteſt legitimè credi niſi tranſitus ad meliorem? Atenim *Quis talia fando temperet à lacrymis*?

ABIS ergo, OPTIME MAZARINE, ab iſta noſtra Mortalitatis inſtabilitate. Abis, HEROS GENEROSISSIME, à *Vita*; quæ, ex Sacris quoque Oraculis [voluitur vt rota, fugit vt vmbra, currit vt nuncius velox, volat vt nauis, tranſuolat vt auis, rapitur vt ſagitta, præcipitat vt fulgur: tranſit in imagine, præterit in figura euanida; vaneſcit demum in fumos, in cineres, in fauillas.] Abis, SVAVISSIME PRINCEPS, ſed heu, heu! quantùm mutatus ab illo? Heri diues, & opulentus: hodiè mortis præda, ſpolium Libitinæ. Heri in palatijs, in ſupellectile, in delicijs: hodiè in feretro, in loculo, in ſepulchro. Heri circumſtante Aulicorum turba, radians: hodiè in vmbra mortis ſolus, ac ſilens. Heri Romæ ſplendor, Italiæ gloria, Galliæ moderator, decus Europæ. Hodiè (in momento ſiquidem pereffluit omnis mundi gloria) ſi caduca ſolùm reſpicerentur, vix aliud quàm *magni nominis vmbra*. Omninò ſic ſe habet noſtra Mortalitas, concludit appoſitè alter eruditus iuxta & pius Cardinalis, Petrus Damiani. *Qui hodiè induitur purpura, cras includitur ſepultura. Hodiè qui omnibus dominatur, cras à vermibus facta putredo corroditur. Hodiè regalibus infulis redimitur, cras vilibus panniculis exanime cadauer inuoluitur. Hodiè ſplendet coronatus in regalis excellentiæ ſolio, cras fœtet marcidus in ſepulchro.*

[Apoſtrophe. Eccleſ. 9. Iob. 14. Sap. 5. Pſalm. 38. 1. Cor. 7. Luc. 4. Epiſt. 7. ad Agnet.]

Viuis tamen, EMINENTISSIME CARDINALIS, tui parte meliori. Et ſi noſtræ preces ac vota non ſunt irrita, viuis in animæ refrigerio: inque gloriæ nuſquam interituræ ſeu ſpe, ſeu poſſeſſione, à DEO Chriſtianæ huius paleſtræ per CHRISTVM agonotheta, ſanctiori purpura aut iam exornatus, aut propediem exornandus.

Perge porro, MAGNE HEROS, illas inter lucidiſſimas Sedes, mox vt DEVM (quod efflictim deprecamur) habebis propitium; concredito tibi, dum inter nos viueres, à Numinis prouidentia officio, pro nobis etiam atque etiam defungi. Perge Eccleſiæ Catholicæ-Romanæ, per conſummatam in Celis charitatem adhærere. Contraque Nouitatum pſeudo-dogmata, & immanem Turcorum rabiem zelo verè Cardinalitio, ſanctioribuſque adhuc donatiuis adiutare Chriſtianitatem.

Perge demum, INCLYTE Μαχαείνης, Regem Lodouicum, Auguſtam vtramque Reginam: Regiam Proſapiam, Regnumque totum bene-

Digitized by Google

EMIN. CARD. IVL. MAZAR.

beneficijs cumulare; vno verbo, Gallicas res ea ipſa qua viuus inuigilaſti, ſollicitudine ac felicitate promouere. Faxitque DEVS vt per poſthuma tuæ incomparabilis prudentiæ ſpecimina, ſeminaque; in tribu ſublectis Tibi à Rege Regni Curatoribus, Phœnicis in modum reuiuiſcas.


Ita vouemus omnes, ita ominamur; vt quod fœlix, fauſtum, fortunatumque; DEO ſit deinceps ſuus honos, Eccleſiæ decus, Optimo Pontifici Alexandro longævitas Petri: Lodouico Regi, Eccleſiæ & Papæ Primogenito, per miracula iam maturo, iam Triumphanti, iam Pacifico, iam in Patris nomen & ſpem initiato: Reginis, per omnia colendis; ſit, inquam, ex formula Chriſtianorum veteri, *vita prolixa, Imperium ſecurum, Domus tuta, exercitus fortes: Senatus fidelis, Orbis quietus; & quæcumque Hominis, ac Cæſaris vota ſunt*.

Tertullian. Apol. 30.

NOS interim qui vitam nouimus, ſuſpeximuſque tanto radiorum ſplendore colluſtratam; debita apud DEVM pietate, Iuſta religiosè proſequemur. Tuique ſemper nominis memores, qui dudum fuimus cultores fidi ac ſinceri;

Te veniente die, Te decedente canemus.

Orabam iuſſus, vos deuotiſſimi perorate.



Digitized by Google